

quiæ peccati, quia propter Christum habemus reconciliationem certam & firmā, si creditis, etiam si heret peccatum in carne vestra.

Semper debet in cōspectu esse promissio, q̄d Deus propter suam promissionē, propter Christum velit esse propicius, velit iustificare, non propter legem, aut opera nostra. In hac promissione debent pauidæ conscientiæ querere reconciliationē & iustificationem, hac promissione debent se sustentare, ac certo statuere, qđ habeant Deum propicium, propter Christum, propter suam promissionē. Ita nunq̄ possunt opera conscientiā reddere pacatam, sed tantum promissio. Si igitur p̄ter dilectionem & opera alibi querenda est iustificatio, & pax conscientiæ, ergo dilectio & opera non iustificant, & si sunt virtutes & iusticiæ legis, quatenus sunt impletio legis. Et eatenus hæc obedientia legis iustificat iusticia legis. Sed hæc imperfecta iusticia legis non est accepta Deo, nisi propter fidem. Ideo nō iustificat, id est, neq̄ reconciliat, neq̄ regenerat, neq̄ per se facit acceptos coram Deo.

Ex his constat sola fide nos iustificari corā Deo, quia sola fide accipimus remissionem peccatorū & reconciliationem, propter Christum, quia reconciliatio seu iustificatio est res promissa propter Christum, non propter legem. Itaq; sola fide accipitur. Etsi donato spiritu sancto sequitur legis impletio.

RESPONSIO AD ARGV= menta aduersariorum.

Cognitis autem huius causæ fundamentis, videlicet discrimine legis & promissionum, seu Evangelij, facile erit diluere ea quæ aduersarij obijciunt. Citant enim dicta de lege & operibus, & omittunt dicta de

O iij promissionibus